



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1000. Usque Ad Annum 1063

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1761

VD18 90117956

§. 13. S. Abbonis Floriacensis obitus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66323](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66323)

Sæculum XI.

§. XIII.

A.C. 1004.*S. Abbonis Floriacensis obitus.*

vit. c. 16. *17. Et.* *Glab. III.* *6.3.* In Francia Abbo Floriacensis in Vasconiam secundo profectus est, Monasterium, quod latine Regula, lingua vulgari *la Reole* dicebatur, reformaturus. In itinere ab Abbatibus & Proceribus honorifice exceptus, ad dictum monasterium circa Festum S. Martini pervenit, cumque ejus comites cum Vasconibus ob negatum equorum pabulum rixari cœpissent, temeritatem eorum, qui viribus destituti potentiores se laceßere auderent, acriter objurgavit, atque adventum Comitis Burdegalenfis, & Vicecomitis hujus monasterii Advocati, expectare jussit, quippe propediem adfuturos constabat, ut Abboni in perficiendo Reformationis opere præsidium præstarent. Totum deinde monasterium lustrans Abbo, & admirans, naturali fitu esse munitissimum, ridendo dixit: *Jam ego Rege Francie, Domino nostro, potentior sum, habens arcem in loco, ubi nemo ejus exercitus formidat.*

Altera die, decima tertia Novembris, anno 1004. Abbas cuidam ex Monachis Vasconibus exprobravit, quod sine sua licentia extra monasterium prandium sumpisset. Ille ad Abbatem nihil, sed præsentibus, quam impatienter id ferret,

ferret, gestu prodidit, exortusque est Sæculum XI.
A.C. 1004.
muliebris clamor, quasi signum ad seditionem ederetur. Inter hæc, Vasconibus & Francis jurgantibus, aliquis Francorum ira incitatus Vasconem fuste percussum in terram dejecit. Mox altera pars alteram lapidibus insectari. Procurrit e monasterio Abbas rixas sua præsentia compositurus, cujus latus Vasco lancea perforat, vi tanta, ut tota acies intra costas conderetur. Non exclamavit Abbas, sed voce temperata: *Animam elidit mihi homo iste.* Aimoinus monachus, qui vitam Abbonis scripsit, tunc ejus sequens vestigia, & videns sanguinem e latissimo vulnere prorumpere, pallens tremensque adstabat, cui Abbas sereno vultu: *Quid faceres, si ad te ipsum pertineret clades?* Obiit vero Abbo eadem die, & præter eum non nulli ex ipsius sociis necati, alii sauciati. Sepultus est in Ecclesia illius loci, & Martyribus accensus, quin & quædam miracula ad ejus tumulum patrata referuntur. At Bernardus Dux Vasconiæ ab intersectoribus pœnas pro merito exegit, quorum aliqui suspendio, aliqui Adimar.
Chro. flammis concremati perierunt. Monasterium vero Regulense Floriacensi, cui de jure debebat, etsi de possessione litigaretur, subjecit.